

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0060

0058

0064

0054

0069

0049

0109

0009

0159

0559

1059

Ende

Anfang

49

oquitur beatus Bernhardus in sermone ad milites templi
cap. 9 commendabilia.

De recessu peregrinorum a Jordane contra
S. Johannis capellam.

De solitudine Jordanis et de deserto S. Johannis
Baptistae.

Balneatione peracta mox asinos reascendimus et a sancto
flumine recessimus per viam, qua veneramus. Cum magno
ergo gaudio revertebantur illi peregrini, qui montem Sinai non
intendebant visitare, quia jam peregrinationis suae terminum
attigerant; Jordanis enim ultimus terminus est peregrinationis
hierosolymitanae. Ascendimus ergo per solitudinem Jordanis
cum festinantia in desertum Johannis Baptistae, qui in illis
desertis locis supra Jordanem habitare coepit, postquam factum
est verbum Domini super eum in deserto prope domum patris
sui. Ideo dicitur Luc. 3., quod venit in regionem Jordanis
praedicans et baptizans. Habitavit etiam ad tempus in Be-
thania, quae est trans Jordanem, ut habetur Joh. 1., et per-
transivit regiones Jordanis de loco ad locum propter praedi-
cationem. In hoc vero deserto, per quod ascendimus, quondam
Dominus Jesus ad eum venit petens baptismum. Sunt autem
supra Jordanem solitudines asperae, in quibus deguit beatis-
simus Baptista et post eum multi sancti patres, qui ad instar
Baptistae zonis pelliceis contenti edebant locustas et mel
silvestre, sicut Matth. 3. de Johanne legitur. Sed videamus,
quid sit locusta illa et mel silvestre? Quidam dicunt, quod
locustae sint minuta animalia volitantia per modum saltus, et
habeant serras inter crura, unde etiam serratae dicuntur,
habent autem corpus ad modum digiti manus exile et breve,
et faciliter inter herbas capiuntur et capite amputato frixantur
in oleo et manducantur, et est cibus pauperum, unde hodie
in deserto Judaeae reperiuntur illae locustae. De his dicunt
S. Johannem pastum fuisse. Alii vero sublimius de S. Johanne
sentientes dicunt: non esse verisimile, quod beatissimus
Baptista locustarum carnes manducaverit in deserto, qui etiam
panem manducare renuit in prima domo. Et illi dicunt,